

XI.

Thomae Vellei
Armigeri
D. C. L. &c.
Disquisitio
de plantarum maritimorum propagatione.

Naturalium rerum indagatoribus luctui diu fuit et opprobrio, maritimas plantas, non minus forma peculiares quam venustate eximias, in occulto plurimum adhuc latuisse; reliquas autem Cryptogamicae classis series, quasi notatu digniores, in lucem aperte prodisse¹⁾.

Si Gmelinum, qui fucorum historiam ingenii acumine aequa experimenterum copia illustravit, et Gaertnerum, qui plantarum fructus et semina investigavit, e numero excipiamus, scriptorem haud facile inveniemus ullum, qui manum ad plantarum maritimorum propagationem e tenebris suis eruentam feliciter admovebit. Basteri etenim observationes perpaucae admodum, obiterque occurrentes unam tantum alteramve speciem huic generi subjectam respiciunt: et subtiles Reaumurii de fucorum florescentia contemplationes in ACTIS GALLICIS oblatae, infelicem potius conjecturam, quam veritatis simplicitatem, sapiunt.

Notandum porro est, quod plantarum maritimorum descriptiones quoad fructificationem, quae botanicis libris interdum inveniuntur, haudquaquam, ut par est, experimentis saepius repetitis, similitudine autem inter vegetabilia, ut dicuntur, perfectiora potius

1) Per „lumen a Dillenio imprimis accensum“ clariora evaserunt Hedwigii in Muscos et Lichenes detecta. Nec nostratis Dicksoni opera est tacenda, quam in hisce plantis investigandis, et in earundem cognitione perficienda insumpsit. — Lichenes et Sphaerias illustrantem vidimus Hofmannum; nec non Filices Britannicas Boltonum. — In Fungis evolvendis desudarunt plurimi Botanici: inter alios, Batschius, Boltonus, Schaefferus, Bulliardus. Horum omnium opera, iconibus uitidissimis elegantissime elaboratis, et ad vivum expressis, locupletantur.

potius assumpta nituntur²⁾). Nec multum equidem sperare licet a perfunctoriis istorum observationibus, qui maritima loca raro adeunt, cito relinquunt: quibus scilicet utcunque acutis solertibusque indagatoribus, vix unquam tardos harum plantarum ad fructificationem progressus, et obscuras formae vicissitudines observandi se praebet occasio.

Nil mirum est, quod celeberrimus ille omnium Botanices studiosorum LINNEUS, vix quicquam certi expertise de magna fucorum et conservarum copia proferret: omnes enim horum ordinum plantas enumerasse³⁾ et experimentis sigillatim probasse admidum fuisset difficile. Quis autem non jure admiratus est praeclaras illas ingenii vires, judicii acumen, mentisque captum, quibus indigestam vegetabilium molem in certos ordines definitasque classes composuit, enucleateque adeo distinxit, ut, quaecunque posthac de propagatione plantarum invalebunt opinionum commenta, definiendi tamen et investigandi facultates non possint non esse promotae.

A systemate tam accurate digesto, tam longe lateque recepto vel minimum deflectere, suspicionem temeritatis et novitatis studii fortasse suggerat; in mentem tamen revocare par est, quod principia ista, quibus sistema sexuale innititur, quoad plantarum genus, de quo nunc agitur, auctori ipsi laudatissimo haud extra controversiam posita esse videantur. Facile est tamen conjectari tam ex libro Linnei de Generibus plantarum, quam ex aliis ejusdem auctoris scriptis, quod doctrinam suam de efficacia sexuali ad unamquamque Regni vegetabilis partem extendi voluerit: immo ad plantas scilicet, de quibus nunc tractetur; quas ob exilitatem partium propagationi infervientium sub nomine Cryptogamicarum seposuerat.^{a)}

Inter varia auctorum opera, quae Botanices rudimenta tironibus tradunt, et fontes scientiae aperiunt, nec elaboratum magis nec utilius est, quam PHILOSOPHIA BOTANICA: opus Viri nunquam satis laudandi, quod non solum lucidissimo ordine constructum hujusce scientiae merito habetur basis et fundamen; sed NUMINIS OPTIMI MAXIMI Sapientiam ante Oculos manifeste profert et mirifice illustrat. Utcurque breve est hoc opus et succinctum, ab illo tamen quasi fonte et origine enata sunt varia opuscula, et utilitate summa et scientia repleta, inter AMOENITATES ACADEMICAS ejusdem auctoris evulgata. Horum unum praesertim principia ista plene dilucideque expedit,

2) Huic opinioni, in Jacquinii COLLECTANEIS relatae favet Wulfen, ubi de Fuco corniculato ita loquitur. „Vesculas veras faemineas hoc in fuco haud detexi; mascula contra tubercula hemisphaeroidica, apice poro impresso umbilicata, et in foliorum lateribus.... suo occurrere solent tempore.“ (Collect. Tom. I. pag. 359.) F. concatenatus, et F. setaginoides, ibid. quos vide, pag. 354 — 356.

Vid. CONFERVAM polymorpham — C. plumosam et C. nodulosam. Fl. Scot. p. 990 — 996. &c.

3) Cl. Hudsonus in Flora sua Anglicana maritimas plantas multo plures, quam Linneus toto orbe terrarum collectas descripsit. Vid. Sp. Pl. Edit. 2da Holm.

a) Classis Cryptogamia.

expedit, e quibus pendet de plantarum sexibus doctrina. ^{b)} In hoc etiam quamplurima proferuntur exempla, quae Naturae Providentiam arguunt, qua multiplices suae Familiae proteguntur: quorum quidem vix praecarius occurrit, quam quod observari liceat in Oeconomia plantarum aquis alte submersarum. Harum quaedam praefinito flores suos aperiendi, nequicquam autem alio, tempore, sese super aquas, ut farina per acrem libere volitans destinatam suam obtineat sedem, emergentes ostendunt, denuoque submerguntur. Si plantis aquas leniter fluentes habitantibus tanta Providentiae, ut genus suum propagent, adhibetur cura; si porro communi quadam et immutabili lege, ut existimandum est, agat Natura ^{c)}: operis haud exigui esse constabit, istarum plantarum, quae, immo sub oceano permanenter et funditus infixa, nihilominus incunabula generationi suae maxime idonea et amica inveniunt, propagandi rationem investigare.

In hac enim investigatione mutuus vegetabilium inter se similitudinis nexus haud amplius praemonstrat iter. Maritima quavis planta obiter inspecta, nequaquam invenienda est praecara illa inter quasdam animalium et vegetabilium partes cognatio; inter terrestrium scilicet plantarum radicum fibras, et lactea animalium vasea. Fucorum etenim radices, non solum vasis ullis absorbentibus succum coquere et distribuere, nullibi aspicimus, verum etiam ob duritiem suam et texturam coriaceam, ad nihil prorsus nisi ad firmandam sibi inter fluctus stationem, videntur adaptatae: laevissimis enim lapillis aliisque corporibus succum nutritium omnino denegantibus, haerent affixae. Fuci equidem, de quibus agitur, si vel radicum, vel aliarum partium structuram contemplemur, vasorum, quibus succus propellitur, seriem habere nullam videntur. Horum autem vices supplent innumera quasi plantarum cuti interspersa spiramenta vel pori. Ad examen hoc facile vocatur; siccata enim hujusce generis planta si in aqua tota immagratur, ad pristinam redibit formam et statum; si vero pars tantum immittatur, reliqua manebit arida prorsus et marcida. — Hinc liquido patebit, fucis hisce nulla esse vasea vel canales, quibus per totam, ut plerumque fit, plantam succus distribuatur.

Ut veritatem facilius assequamur, conjecturas incliti cuiusdam philosophi de plantarum harum florescentia ad examen revocare fas sit; his enim fidem dederunt quidam recentiores, et ad firmandam sexus plantarum doctrinam, et methodum inde Linneanam, haec celebris viri detecta, ut putantur, adduxerunt. Reaumurius, qui hic loci designatur, sibi visus est in Quercu marina, ^{c)} atque in *Fuco ferrato*, et flores

et

^{b)} *Sponsalia Plantarum.*

^{c)} „Omnis species Vegetabilium flore et fructu instruitur, etiam, ubi visus eosdem non assecuratur.“ Philosoph. Bot. Sect. 139.

„*Muscorum semina Nos.*

„*Fucorum flores observavit Reaumur. &c. Ibid.*

„*Flos omnis instruitur Antheris et Stigmatibus.*“ Ibid. Sect. 140. et sequent.

^{c)} *Fuco vesiculosus.*

et semina detexisse; flores quidem frondis superficiem sine ullo discriminine occupantes: unumquemque florem describit ut fasciculum filamentorum capillarium, quorum longissimum lineam haud aequabat: summa vero diligentia scrutatus, se libens confitetur nec fastigia filamentis his, nec capita cernere posse; quae tamen, si filamenta vera essent stamina, antheris ornari certe deberent. Hunc nodum dirimere aggresius, verisimillimum esse haec capita, quamprimum se protrudebant filaments, decidisse ausus est affirmare: et porro flores tantum illos, qui extremas occupant frondes, instrumenta esse, quibus seminiferi fucorum apices promoteantur. Foramen etiam, ex quo se trudunt filaments, calycem esse dicit. In quibusdam speciebus fructificationem affirmat summis frondibus ineffe turgidulis et paulum distensis, dum flores, sic enim has partes reputari nonnullis placuit, omnino latebant. In aliis contra hae postremae partes sine superioribus videndae erant. In *Fuci* scilicet *canaliculato*, et *nodo*, globuli carpoporphi sese exhibebant, fine ullis florum filamentis: hi igitur, ait *Reaumurius*, florescendi tempore nunquam oculis subjiciebantur. *Fuci palmati* contra superficies filorum istorum, vel, ut sibi videtur, florum, fasciculis obiecta erat: nihil autem vel seminibus vel capsulis simile attentissima inspectione cernendum erat.

A *Bastero* et *Gmelino* dudum observatum fuit, *Reaumurii* hypothesis reprehensioni quodammodo obnoxiam esse.

Imprimis. Quoad filaments capillaria semper antheris vel apicibus destituta nunquam pro floribus haberi possint.

Secundo. Quod, in quibusdam fucorum speciebus, frondis superficie, integra prorsus et sine illis filamentis existente, granulis vero nidulantibus cumulate instructa, in aliis contra nulla ullibi seminum praefere ferente, florum autem, ut voluit, fasciculis cooperata — hanc potius quam *Reaumurii* opinionem sequeremur oporteat; nimis fucorum partes supradescriptas nullo inter se systematis vinculo connecti, una nequaquam ab altera pendente.⁵⁾

Quod autem plenius hoc et melius evincit, *Reaumurio* vix ignotum, id pro certo statuamus; scilicet ista filaments florescentiae natura et ratione tam longe abesse, ut in superficie plantae enascētis, tenerae et ad integrā suam formam nondum perventae videantur. Apparent etiam haud obscurius in frondis superficie, dum fastigia ejusdem cum suis pericarpis jam senescentē cooperint et marcescere: et in hoc toto temporis intervallo nullam quamcunque, quae cernitur, mutationem subeunt. Quandoquidem igitur filaments haec illis carent partibus, quae flori ipsi essentiales sunt, quandoquidem nullo cum aliis plantis similitudinis nexus sociantur; ad usum quemnam alium

5) Nec porro supervacaneum est observare, quod *Linneus* in operis sui genera plantarum denominati editionibus sub sua ipsius inspectione prolatis, antequam *Basterus* *Reaumurii* opinonibus se opposuerat, se parum credere *Reaumurii* de masculis floribus dogmatibus offendebat, signum dubitationis sibi usitatissimum definitioni ejus subjiciendo.

alium plantarum harum structurae convenientem designata suisse constat. Experimento nuper descripto, ea ductus esse secretorii, vel vasa succum nutritum frondi transmittentia, censenda sunt. Hac quidem ratione compensetur istius nutrimenti desiderium, quod terrestres plantae radicibus suis porosis e solo, quo fixae permanent, nunquam non derivant: maritimorum interea radicibus fluctuum violentiae, ne jacentur plantae, sese solum opponentibus.

Hinc apparet providentis Naturae sapientia, quae unicuique generi partes suas et situs statuit vegetationi aptissimos. Dum in seminibus plantarum terrestrium formae, magnitudinis et situs diversitatem contemplamur; non possumus non respicere similitudinem organorum propagationi inservientium, quoad formam, situm, et magnitudinem, plantas maritimatas pervadentem. In fucis plerisque semina aut capsulae in frondium substantia inseruntur. Et in quibusdam horum, structurae potius filiformis; et in conservis plurimis, aut distensis plerumque pinnularum fastigiis;⁶⁾ aut ramuscilorum vesiculis axillaris continentur.⁷⁾

Quod igitur grana carpomorpha, quoad situm, habitum, et originem respicit, conservas non multum a fucis distare affirmetur.

In uno eodemque specimine saepe cernantur corpuscula haec granulata frondis dilatatae parti simul conglomerata; dum in aliis ramulis, nebulae quaedam leviusculea sola ullius cujuspam ad maturitatem progressus signa produnt praecursoria. Si florescientia ulla fructificationem harum plantarum anteisset, in hisce et talibus specimini bus dudum eam inventam suisse credibile est: nihil vero receptae huic hypothesi colorem daturum adhuc est repertum.

Observandum est, quod Reaumurius haec filamenta capillaria non nisi in paucis, quinque nempe aut sex fucorum speciebus cernere posset. His pauculis tantum et tam dubiis exemplis, character generis fucorum numerosissimi yidetur niti.⁸⁾ Nil mirum est

6) Ut *Fucus spinosus* — *F. obtusus* — *F. cartilagineus* — *F. pinnatifidus* — **CONFERTA polymorpha**, &c. &c.

Quid enim differt, si in tumidis frondium tantummodo apicibus, seu *inramuscilorum globulis*, vel pinnulis distensis, nidulant deprehendantur granula?

7) *Fucus coccineus* Hudsoni — **CONFERTA plumosa** — *C. nodulosa*, &c. Vesiculae, in quibus haecce granula semiualia conspicienda se praebent, ex identica medulla materna et cortice, conflatae videntur.

8) „*Fucus* * Reaum. A. G. 1711. T. 9, 10, 11.

Masculi flores?

Vesiculae glabrae cavae pilis intus adspersae.

Feminei flores.

Vesiculae glabrae, gelatina replete, adspersae punctis perforatis semine foetis.”

Linn. Gen. Pl. Holmiae, 1764.

Fucus.

est, quod Linneus huic dignissimo auctori nimium fidens, sententiam, quae honorem dabant methodo suae, acciperet ultro et foveret⁹⁾.

Cum haec contempleremur, clarius fortasse patebit, quod, dum harum structuram algarum moliretur Natura, paululum deflexerit ab usitata sua operandi ratione, et quod nullis prolatis de florescentia harum plantarum testimoniois, verissimum duceretur in his propagandi modum simplicem esse, ut sibi ipsis vi insita restrictum, ab ullo exteriori adjumento nequaquam pendentem, et a principiis, quibus sexuum distinctio afferitur, prorsus alienum. Notatu dignum videatur, quod opinio haecce Gmelini et Gaertneri auctoritate commendata se prodat, quanquam auctorum horum postremus hypothesis suam late nimis et temere extendisse videtur.

Absurdum esset, ut ait Gmelinus ipse, sperare, aequa ac difficile proferre granorum istorum fucis se prodentium primae formationis explicationem. Semper enim necesse est a spe decidamus, cum ad primarias rerum causas expediendas nos accingamus. Haec eadem et de vita animalium et vegetabilium ubique constant. Pudoris est aequa ac prudentiae intra hos limites nosmet ipsos fistere. — „Neque plus novi,“ inquit, „quam quod ejusmodi observationibus edoceor, simpliciori methodo voluisse hic

CRE-

,*Fucus MASC. Veficulae villis intertextae.*

Fem. Veficulae adspersae gravis immeritis apice prominulis.“

Hudson — Lightfoot &c.

In editione Syst. Nat. nuperime evulgata, character fuci genericus aulis melioribus profertur.

„*Fucus — globuli carpomorphi, vel jenina graniformia sub punctis perforatis latentia.*“

Syst. Nat. Edit. Gmel.

Specierum vero distributiones, quas e Gmelini HISTORIA FUCORUM Editor desumfit, dies forsan, tum fructificationes earundem impensis investigandi occasio, accuratioes reddit. Vid. Not. 13. etc.

- 9) Haec forsan Reaumurii hypothesis auctoritate cl. Basteri fuerit commendata, citato ab illo opere Comitis Marsiglii celeberrimo (*Histoire physique de la mer.* p. 160); in quo loco maritimam plantam perfectos flores gerentem sigillatim describit, Iconem addens partes ejusdem accurate referentem. Basteri verba ita se habent. „Quamvis magnus Botanicus R A J U S neget plantas unquam sub aqua apertos flores gerere, non tamen hoc sine exemplo esse credidimus. Illustrissimus Comes M A R S I G L I plantam describit et delineat, quae ab altitudine quadraginta, et ad distantiam quingentiarum orgyiarum a littore, ad Piemontorium Canailje dictum in PROVINCIA, ex mari extracta est, quae apertos et marcidos flores et fructus gerebat. Flores habebant sex petala, sex stamina antheris suis instructa. Apex plantae multos adhuc clausos habebat flores.“ Opusc. Subseciv. Tom. secund. p. 130.

Singularis haec descriptio indagandi in nobis studium excitavit, non sine quadam suspitione, annon talis existiterit in oceano planta, et nos impulit oblatam tandem occasionem amplecti Marsiglii tabellam cum doctissimo Botanices in Oxonio Professore regio inspiciendi. Plantam Asphodelum fuisse, nequaquam in dubio versabatur; et Professor illam Asphodelum ramosum fidenter annunciat; plantam, quam dudum observaverat ipse in maritimis Italiae oris et in insulis parvis Europae australibus perrequentem.

CREATOREM eundem finem adsequi, voluisse nimirum per sola grana in se foecunda, h. e. vi insita, nec aliena indigente, praedita, fucorum procreationi prospicere."

Si materiam hanc subjectam contemplari velimus fusius explicatam, Gmelini opus curiosius evolvendum est. Ille enim Naturae notat progressum, quem quidem hisce algarum generibus convenire affirmat: in quibus plantis pedetentim descendendum est ab ipsis, quae **UNISEXUALES**¹⁰⁾, ad illas, quae prioribus simpliciores prorsus **ASEXUALES** orientur.

Horum primis¹¹⁾ perfectiorum fucorum fructificationem tribuit Gaertnerus, quos fidenter affirmat veris feminibus propagari. Sub postrennis fucos plurimos et omnes omnino confervarum species annumeravit.

Si istam hypotheseos suae partem, quae hoc plantarum genus tractat, animo velimus comprehendere; necesse forsan sit definitiones, quibus vegetabilium propagationem inclusit Gaertnerus,¹²⁾ inspicere. Vegetationis originem dupli ex fonte derivatam esse affirmat. In altero, „materies vegetabilis solis adjuta vitae viribus, secundum inquilinum cuiuslibet plantae crescendi schema, in novas formas mutatur, atque sua sponte adultarum stirpium nova producit exempla.“ In altero, „tenuiores fluidioresque ejus partes, ministerio priorum organorum, a reliqua massa secernuntur atque ita elaborantur, ut ex harum demum congrua miscela mutuaque inter se actione novum prorsus emergat corpus organicum, verique in distinctis conceptaculis excitentur plantarum foetus.“ Hunc posteriorem nascendi modum Fructificationem appellat, quia semina hinc trahunt originem: priorem illum Gemmificationem, et unicam

10) Distinctio ista, quae voce *unisexualis* facta est, inutilis prorsus esse videtur. Hac voce Adamsonus intelligit vim simplicem et efficacem sibi ipsi relictam in seminiferis quorundam vegetabilium partibus, et hic fucis, ut dicuntur, veri nominis applicatur, ut ab illis secernerentur, qui *asexualis* nominantur, utpote qui feminibus omnino carent et per geminas propagantur.

11) „In omnibus veri nominis Fucis sola habentur organa feminea, intra frondium corticem abscondita; masculorum autem nullum adest vestigium etc.“ Gaertn. de Fruct. p. 32.

12) Hic auctor utilissimum opus Botanicorum manibus atterendum nuper edidit: in quo non solum plantarum generum distinctiones, fructibus et feminibus suis inspectis, statuit; verum etiam scienter feliciterque aliorum auctorum observationes, quoad formationem, texturam et usum istarum partium, quae propagationi vegetabilium inserviunt; illustravit. Nonnunquam tamen distinctionibus parum (ut videtur) idoneis versatur, quae characteres genericos conturbant et implicatores reddunt. E. g. *Fucum plumosum* et *F. cartilagineum* aliasque seorsim ponit, includens eos sub genere *CERAMIO*. Probare enim emititur *), „quod eorum globuli ex indentica matris medulla formentur et propria sua virtute per papillulas e vertice suo (ut dicit) pullulantes, in novas plantas pro crescere queant . . . dum contra in omnigenuino Fuco vera reperiantur semina.“

*) GAERTN. de Fruct. Introduct. p. 19.

ciam propagationis proliferam rationem dicit. Haec principia postea ad diversa cryptogamiae classis genera ab auctore nostro adaptantur. ^{d)} „Confervae omnes,” ait illè, „tam capillares, quam moniliformes, sexu e seminibus in perpetuum destitutae sunt. Piores e sponte solutis nec quidquam mutatis articulis suis regerminant. . . . Confervae autem moniliformes, ut corallinoides et variae aliae adhucdum innominate, promunt ex juncturis majorum suorum articulorum brevia quaedam filamenta lateralia, quae et ipsa ex parvis articulis conflata sunt, et ex quibus solis earundem propagationis organa hac simplici formantur methodo, ut nunc unicus, nunc duo sibi proximi lateralium filorum articuli per meram substantiae suae carnosae intumescentiam, in unicum globulum solidum convertantur, qui postea sponte decidit, et dum ex altera parte scopolis agglutinatur, ex altera novum trudit articulum, atque sic sensim in plantam convalescit matri suae prorsus similem.“ Ingens est, ait Gaertnerus, horum globulorum cum vero quodam fructu vel semine similitudo quoad duritatem, formam et colorem: „his tamen non obstantibus, quilibet libenter eis inter simplices gemmas locum concedet, qui vel internam globulorum rimatus fuerit fabricam, utpote ex mera medulla atque cortice compaginata; vel qui eorundem imprimis spectaverit ortum, quippe qui, ex confluente saepius duorum articulorum in unum globulum medulla, excitatus, nonnisi vegetationis, nequaquam vero foecundationis opus esse potest.“ ¹³⁾

Quaedam in Gaertneri hypothesin de confervarum propagatione observationes, libellum huncce ad finem producent.

Generis fucorum et confervarum idonea distinctio inter desiderata adhuc manet: utpote fine discrimine utrumque genus alterius characterem nonnunquam affectare et

P 2

perfo-

^{d)} GÄRTN. de Fruct. p. 16.

13) Fucos omnes complanatos semine in perpetuum destitutos, et per meras gemmas propagari ausus est affirmare Gaertnerus. Luculentissimum vero habemus documentum, quod in nonnullis eorum aequa ac in fucis (ut dicuntur) perfectioribus, per semina vera locum habeat propagationis ratio. E. g. *Fucus rubens* fronde membranacea et vere complanata consistens, haud raro plurima foliola e nervo intermedio more proliero protrudit, „ita ut quilibet illis inter simplices gemmas locum concedat,“ proles in deciduas cito abeunt. Haecce foliola minutissimis ciliis dense emarginata evadunt; in omnibus quarum, vices nimirum capsularum sustinentibus, semina quam plurima purpurea oculis armatis mox reperiemus.

Fuci crispati Hudsoni laciniae membranaceae, et *ULVA* fere lactuca tenuiores, vesiculis creberrimis nonnumquam asperae; in quibus insignis granulorum copia haeret, ratione et forma plurimum iis adfinium, quae in fucis perfectioribus aspiciuntur. Alii quoque fuci, quos Gmelinus (in Hist. Fucor.) sub ordine membranaceorum olim seposuit; et quos nuperime in SYSTEMA NATURÆ introductos vidimus, utpote *protibus deciduis* omnino germinantes, justam dubitandi causam suppeditant, an veris seminibus destituti sint. Immo etiam Gmelinus ipse fuci membranacei et caulescentis specimen describit, „foetum undique ad latera globulis rotundis nigerrimis:“ et rem penitus investigare cupidus, repudiata fere priori sua opinione, candide postulat: „An ergo tractu temporis, an maturitate ad summum perducta mutantur penitus, siuntque, ut alias, seminum foecundorum receptacula?“ Hist. Fucor. p. 175. Nota 2da.

personam induere videtur. Transversa enim septa, articuli, et tenuitas fabricae capillaris obvium conservis distinctionis characterem videntur imponere.

Quasdam tamen conservarum articulis destitutas uotant botanici; *) dum fucorum nonnullos septis instructos, cernimus. Genus *ulva* tenebras hasce nequicquam discutit; quod scilicet naturam distinctiones suas cum utroque genere participat. *ULVA* capillaris Cl. Hudsoni vesiculis extremos suos ramulos haud raro instructa est, in quibus semina pyriformia aut capsulae, colore suo haud aliis plantae partibus dissimilia, aspiciuntur. Hinc in fucorum genere adscribi possit. *ULVA* articulata conservarum fabricae apprime propinqua est: dum *Fucus FILUM* diaphragmatum seriem exhibet, quae illum ad hoc genus proximum annumerandum designant. *Fucus* quidem incurvus in se videtur distinctiones utriusque generis continere: pinnulae enim in recenti planta opposito lumine examinatae, septorum series frequenter produnt, quae in aliis frondis partibus nusquam videnda sunt. In foliis *Fuci* siliquosi inflatis diaphragmata etiam tactu percipi possint.

Complures dudum animadverterunt, Naturam a simplicioribus plantarum elementis ad implicatiorem et perfectiorem earundem structuram arcta quasi catena pedentim progressam esse. Eandem vero sententiam accuratiore forsan ingenio scriptor *) aptissime illustrat, qui Regni Naturalis primordia vix et ne vix quidem secerni notans, non in scalam et seriem continuata esse, sed in rete cohaerere naturae opera, affirmit. Ne plantas hasce hoc modulo metiamur, quae naturalium ordinum primae *) et simpliciores censendae sunt: id pro certo statuamus, nempe ut *ulvae*, *fuci*, et *conservae*, in praesenti haud inter se certis fixisque notis decernantur, et ut quibusdam charactris proprietatibus unicuique convenientibus nonnunquam participant. *)

Gaertnerus f), ullam esse conservarum generi per semina propagationem, quae quidem fucorum nonnullis quodammodo attribuit, omnino negat: asseritque porro, quasdam harum plantarum species lateralibus solum filamentis propagari, quae per intumescientiam substantiae sua in globulos conversa, et a ramulis sponte decidentia, fiunt tandem vice sua prolisera, „et dum ex altera parte scopolis agglutinantur, ex altera

*) *C. rivularis*, *C. faericulacea*, etc. Fl. Scot.

ej) Donati.

14) „Plantae omnium imperfectissimae *Byssi* et *Conservae*, in quibus natura primordium instituisse videatur.“ Gmel. Hist. Fucor. p. 35.

*) *ULVAM* articulatam cum *fucis* Lightfootii; et *CONFERVAM* fistulosam Dillenii, t. 6. f. 39. (i.e. *C. tubulosam* Hudsoni) cum *ulvis* Linnei conjunctam videimus. *ULVA* *conservoides*, Sp. Pl. 1632.

f) Gaertn. de Fruct. p. 16.

altera novum tradunt articulum¹⁵⁾. " Generis tamen istius numerosissimi permulta plantae procul dubio, quae globulos minutos copiose producunt, in quibus (quantulicunque sint) plurima opaca granula vel semina, quibusdam anni temporibus, aspiciantur. CONFERVAM ille corallinoidem exemplum hypothesi suae maxime repugnans malis avibus seposuit: haec enim conferva fabricae est tam simplicis, ut pellucido tubulo similem se exhibeat, liquore tandem coccineo rubentem. Hujusce plantae ita se habentis circa articulos (ut ait rectissime Lightfootius) verrucularum subfuscuarum congeries raro admodum aspicitur. Hae verruculae microscopio subjectae, atro-purpurea semina vel grana conoidea amplecti videbuntur. Si planta in hoc statu alba circumimplicatur charta, liquorem suum coccineum statim ejicit, relictæ solum in chartam pellucida quadam cuticula, granulis circa articulos exceptis, opacitatem suam et soliditatem aliis plantae partibus prorsus dissimilem, retinentibus. Quandoquidem igitur haecce granula ab interna conservae substantia tam late discedunt, verisimile est, ea ex miscela fluidorum vel fecrétione, a qua seminum originem pendere censet Gaertnerus, formata esse, et nequaquam ex materna medulla, quae sola, ut statuit auctor, materiam pro gemmis suppeditat¹⁶⁾. Sed ut res paucis absolvatur, fluidarum partium secretionem novum corpus organicum^{g)}, pericarpia scilicet aut semina generata esse. Si igitur secundum auctoris hujusce ratiocinandi modum granula, quae in perfectioribus fucis continentur, vera credenda sunt semina: ab exemplo supra descripto et quam plurimis aliis consimilibus liquebit, quod conservae etiam modo haud dispari propagentur.

Haec probabilior opinio est, eo quod plantarum harum initia minutissima sunt; et quod ad laevissimas superficies, fucorum etiam ad pinnulas capillares se ipsis minime ampliores, hae solent adhaerere. In his tamen nidulum aliquem protectorum inesse, ubi granula haecce seminalia incidentia tuto recipientur necesse est et foveantur. Nec animo facile est concipere, quomodo secundum Gaertneri opinionem propagandi modus ad finem suam perduci possit; utpote harum conservarum ramuli nec minus capillares sunt, quam istorum ramulorum pinnulae, e quibus evascuntur, adeo ut haud verisimile videatur, articulatum conservae globulum tam subito se tali sub-

¹⁵⁾ Annon suspicari licet, quod Gaertnerus in opinionem Adansonii, quoad conservae propagationem, temere nimis inciderit? „On peut dire que dans le Conserva même, qui n'a point de graines, l'articulation qui en tient lieu, est analogue aux Embryons monocotylédones, puisqu'elle végète d'abord par une extrémité qui sert de racine, en s'appliquant à divers corps, et ensuite par l'extrémité opposée qui forme des tiges.“ Adans. Fam. Plantar. p. 1. pag. 304.

¹⁶⁾ „Quod gemmae medulla sit pars identica medullæ maternæ; dum contra feminis medulla non possit non esse novissima et a matris suae distinctissima.“ Gaertn. de Fruct. p. 9.

^{g)} Gaertn. de Fruct. p. 5.

substantiae adjungere, et tenacitate aestus maris violentiam perlatura adhaerere. Dum facile admittatur, hos globulos †) a medulla plantae formatos esse, pro concessu sumendum est tamen, illas conservarum species, quae corpuscula seminalia gerunt in globulis supra dictis, summam per totum propagationis modum habere affinitatem cum fucis perfectioribus: et quandoquidem his nulla florescentiae apertiora signa edant, verisimilimum est, eas etiam fructificationem suam a vi simplici sibi ipsis insita, principiis istis, quibus opinio de sexuum distinctione pendet, prorsus diversa, illis tamen ipsis æquipollente, derivare.

†) Hi globuli ortu et formatione sua nonnunquam ad vesiculos tam prope accedunt, ut seceri ab his et internosci vix possint. Vid. Not. 7.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv für die Botanik](#)

Jahr/Year: 1796-1798

Band/Volume: [1](#)

Autor(en)/Author(s): Armigeri Thomae Vellej

Artikel/Article: [Disquistio de plantarum maritimarum propagatione 2108-2118](#)